

4) Off. Monialium.

Bracharen.

S. Rituum Congregatio facultatem indulget priorissae et monialibus s. Clarae Villae Condé Bracharen. dioecesis recitandi privatim officium Stigmatum s. Francisci tempore quadragesimae et adventus, non omisso tamen currenti, et quidem horis canonicis vel alias suetis, ac solemniori ritu, recitando. Die 13. Julii 1658.

(Anal. J. P. 1863 pag. 349.)

5) Translatio.

Vd.: *Septem dolor. B. V. M.* in mense Septembris (decr. 5194 ad 5.)

STIPENDIA MISSARUM.

1) Num acceptatio licita sit a Sacerdotibus et Ecclesiis, a quibus int. temp. destinat. celeb. non possunt?

Vd.: *Stipendia* (superflua etc.; transmissio.) *Tabella missar.*

Ad dub.: An prohibitum sit absolute, quominus accipiant novas eleemosynas illi, qui acceptis non satisfacerint; et quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

S. C. C. resp.: Non prohiberi absolute ac propterea, etsi omnibus jam susceptis non satisfacerint, posse tamen nova onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere. Die 23. Novembris 1697.

Ad dub.: Quid si Offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut sacerdos missam celebret, cum primum poterit?

S. C. C. resp.: Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum missarum celebratione id sciat et consentiat, ut

illae tunc demum celebrentur, cum susceptis omnibus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis juxta Benefactoris consensum celebrandis. Die 23. Novbr. 1697.

Addub.: An Administratores ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis non nisi per longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus ecclesiae et devotio et concursus fidelium, ut ajunt, minuatur?

S. C. resp.: Non posse nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt. Die 23. Novembris 1697.

Vd.: Decr. sequ. Urb. VIII. *Declarat.* n. 14. 15.

Si de Missis adventitiis sermo sit, eleemosynae recipi non debent, nisi infra modicum tempus, scilicet *unius mensis*, celebrari possint, seu pios offerentes admonendos esse: „Tot missas celebratum iri, quot re ipsa celebrari posse contingeret, eos vero, pro quibus celebrari nequissent missae, quas sibi eleemosynam offerentes deposcebant, futuros participes fructus missarum, quae in ecclesia pro Benefactoribus in genere offeruntur; vel saltem id actum iri, ut missae per eos optatae in alia ecclesia juxta eorum intentionem celebrentur; idque publico patentique loco appensa tabella omnibus nunciaretur“, veluti totidem verbis legere est in Synodo dioec. l. 13. c. ult. §. 11., ubi in §§. sequ. Resolutiones S. hujus Congregationis transscribuntur.

(Ex resol. S. C. C. 9. Apr. 1783. *Anagnina.*)

Ex constit. FFr. Ord. B. V. M. de monte Carmelo prov. Castellae.

Pius PP. VI.

... Insuper sancivit admodum reve-

rendum definitorium, quod in nullo Conventu recipiantur missae, quae a respectiva communitate *infra triginta dies* a die accepti stipendii computandos nequeant celebrari, si vero, dum celebrantur missae jam acceptae, aliae superveniant, admitti tantum potuerunt, quae infra triginta dies satisfieri valeant, computatis iis, quae supersunt de jam acceptis; id enim cohaeret decretis Clementis Papae VIII. uti etiam illis de reformatione capite quinto, declarationi S. Congregationis Concilii relatae a Benedicto Papa XIV. in institutione quinquagesima sexta numero decimo quarto et regulis ac sensibus bonae moralis.

Si quis autem Prior vel Subprior missas ultra praefinitum numerum admiserit, irremissibiliter officio privetur.

(Bull. r. Contin. t. VIII. p. 167. *Ed. Romae.*)

Ex constit. FFr. Ord. B. V. M. de monte Carmelo discalc. Cong. Hispaniae.

Pius PP. VI.

Stricte praecipimus, ne in aliquo Conventu recipiantur plures eleemosynae pro missis, quae *intra mensem* persolvi non possint, sub poena suspensionis ab officio per tres menses Prioribus aut Vicariis infligenda. Potissimum vero Provincialibus sub poena inobedientium praecipimus, ut poenam praedictam exequantur ordinationemque nostram maximo zelo curent adimpleri. Quod non tantum de eleemosynis ab ipso Praelato receptis, sed strictius, de receptis ab antecessoribus intelligi volumus. Ut autem rectius observetur, Priores in Capitulo provinciali per instrumentum juratum a tribus claviis subscriptum fidem reddere de ejus adimplitione teneantur. Qui secus fecerit in Capitulo provinciali ad officia ordinis nominari aut

eligi nequeat. Prius autem Provincialis, in ejus conventu mature discussione facta, si exploratum habuerit, debito non satisfacisse atque testimonium praedictum malitiose non attulisse teneatur Capitulo provinciali rem totam in forma faciente fidem aperire.

Die 14. Martii 1786.

(Bull. r. Contin. t. VII. pag. 505. *Ed. Romae.*)

Ex constit. Ord. FFr. B. V. M. de monte Carmelo excalc. Congreg. Portug.

Pius PP. VI.

Nullus Superior plures numero missas accipiat simul quam quae a sui conventus sacerdotibus intra tempus a jure praescriptum vel a voluntate eleemosynam largientis statutum celebrari possint. Prior generalis aut visitator suae visitationis tempore in perfectam hujus constitutionis expletionem sedulo inquirat et meritas poenas delinquentibus imponat; quod ut facilius deprehendatur, decernimus, ut in arca trium clavium quidam asservetur liber, ubi coram consiliariis quotquot et acceptae et satisfactae fuerint missae, scribantur. Si vero Prior generalis aut ejus vicem gerens hanc remissius inquisitionem exequantur a generali Capitulo severe puniantur, et postquam praefecturam absolverit, voce activa et passiva per tres menses privetur.

Teneatur etiam quisque consiliariorum socio, qui a suo Conventu ad generale Capitulum iverit, juratum testimonium tradere, ex quo coram Capitulo patescat, utrum soluta an vero solvenda maneant onera missarum omnium, sive legatorum sive manualium, ad id usque temporis in monasterio acceptorum, proindeque

congruat istius Priorem absolutum aut punitum dimittere.

Die 17. Martii 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. pag. 28. Ed. Romae.)

Urbanus PP. VIII. *)

1. Cum saepe contingat in quibusdam ecclesiis tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeat satisfieri et tamen nova onera missarum in dies suscipiantur indeque fiat, ut depereant pia testantium voluntates, obstricta Benefactoribus fides violetur, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus ac christifideles gravi scandalo affecti plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur: cumque his malis maximum inter caeterum fomentum praebet aut quod ii, qui missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorum numerum a Superioribus reductum iri, aut quod ecclesiis sorte pe-

*) Notandum, quod loquuntur decreta Urbani VIII. etc. de Missis manualibus ac trahi fortasse nequeunt ad eas celebrandas ex fundatione capellaniae, juxta Piton. de controv. patron. alleg. 67. num. 8. ibi: „Neque ob stare puto decretum Urbani VIII. super celebratione in ea parte, in qua disponit, sacerdotem, cui commissa fuit celebratio missae cum certo stipendio non posse committere missam alteri celebrandam cum minori stipendio, quam acceperit, quia loquitur de missis manualibus, neque applicatur ad missas fundatas seu capellanas, ubi Capellanus dicitur dominus fructuum capellaniae“. Et ratio est, quia assignata censetur eleemosyna in capellaniis ratione sustentationis capellaniae. Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quaest. 970., Amost. de caus. piis lib. 2. cap. 4. de miss. earumque stipen. num. 31.

(Ex resol. S. C. C. diei 18. Augusti 1792. Nullius s. Salvatoris.)

cuniarum assumpta plerumque nuda remaneant onera missarum absque ullo emolumento aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subicere, et reditus ecclesiae aut monasterii adeo exigui, ut sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur, S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam charitativae ac justitiae maxime consentaneam, si pro viribus satagat, hunc deterrimum ab usum e christiana republica convellere atque eradicare, SSmi D. N. Urbani divina providentia Papae VIII. auctoritate sibi specialiter attributa infrascripta decreta edidit:

2. Ac primo districte prohibet atque interdicit, ne Episcopi in dioecesana Synodo aut Generales in Capitulis generalibus vel alias quoquomodo reducant onera ulla missarum celebrandarum aut post idem Concilium imposita aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

3. Deinde ubi pro pluribus missis ejusdem qualitatis celebrandis stipendia quantumcumque incongrua et exigua sive ab una sive a pluribus personis collata fuerunt aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus ac Locis piis quibuscumque, tam Saecularibus quam Regularibus Sacra Congregatio sub obtestatione divini

judicii mandat ac praecipit, ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.

4. Id vero ut deinceps observetur exactius, S. Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis ac Locis piis, tam Saecularibus quam Regularibus cujuscumque ordinis, Congregationis et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione aut aliquibus Collectis seu orationibus plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

5. Ac similiter omne damnabile lucrum ab ecclesia removere volens prohibet sacerdoti, qui missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, partem ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

6. Praeterea, ne in ecclesiis, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla aut parva sint utilitate conjuncta, statuit atque decernit, ut pecuniae ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus ac Locis omnibus, tam Saecularibus quam Regularibus atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis statim deponi debeant penes Aedem sacram vel personam fide et facultatibus

idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

7. Ac si eadem bona immobilia auctoritate apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem poena, ut supra deponi atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.

8. Ac haec S. Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus et Congregationibus, nec non omnibus et singulis Ecclesiarum ac piorum Locorum, tam Saecularium quam Regularium, Superioribus vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet ne impostorum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, Saeculares quidem sine Episcopi vel ejus generalis Vicarii, Regulares vero sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda; alioquin Saecularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso: Regularis vero poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de caetero obtinenda vocisque activae ac passivae absque alia declaratione incurrat.

9. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus ante impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam sponte oblatis in futurum recipiendis et capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione illa: Eleemosyna pro missis, vel alia simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

10. Episcopus vero seu ejus Vicarius, aut Generalis vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirent de singulis missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiae aut Loco pio incumbentibus; nec autem assensum hujusmodi aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis et Locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque civitatis vel provinciae, intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die hujus praetermissi muneris rationem esse reddituros.

11. Postremo Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quae regularem disciplinam evertunt ac praecipue nimiam hanc facilitatem fovant, in oneribus missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quam ferant redditus et eleemosynae cujusque Monasterii, inhaerentes Summorum Pontificum ac sacri Tridentini Concilii Decretis, hac de re editis, SSmi D. N. auctoritate praecipunt ac mandant omnibus et singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Praesidentibus, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis et quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum ac Domorum Regularium, bona immobilia possidentium vel non possidentium cujuscumque ordinis, Congregationis et instituti existentium intra fines Italiae et Insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus aut tribus Regularibus sui ordinis vel Congrega-

tionis probatoribus et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus et proventus omnes, consuetas item eleemosynas et obventiones tam communes Monasteriorum, Conventuum et Domorum ejusdem Provinciae, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas seu permissas in communem usum deinceps conferentes, decem annorum immediate praecedentium habita ratione, diligenter et mature recognoscant iis omnibus detractis, quae reparationes, praestationes, sterilitates aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere.

12. Eaque omnia scripto fideliter exarata idem Superior, cujus interest, in proximo Capitulo seu Congregatione Generali vel Provinciali coram tribus iudicibus ab ipsomet Capitulo seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis et oneribus, ut supra detractis, sedulo examinent, quod religiosi homines, connumeratis etiam laicis aliisque necessariis servientibus, in unoquoque Monasterio et Domo regulari, juxta regionis et proprii instituti morem, victum et vestitum et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum reddituum, eleemosynarum et onerum praecisam notam ipsimet Capitulo seu Congregat. exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque Familiae Monasterii, Conventus ac Domus regularis, in singula quaque Provincia certus earum tantum personarum numerus Patrum Capitularium voto, praefigatur, quae redditibus, eleemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

13. Ne vero Superiores, qui id praestare debent, serius aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciunt: mandat S. Congr. ut infra annum post proximum Capitulum generale vel

provinciale computandum omnia hoc de genere capitulariter gesta in authenticam formam reducta ad S. ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

14. Numerumque familiae singulorumque Conventuum, Monasteriorum et Domorum hujusmodi Regularium, Capituli seu Congregationis generalis vel provincialis sententia et auctoritate praefinitum iidem Superiores, tam Generales et Provinciales omnes quam Locales, perpetuo servare omnino tenentur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam praetextu augmenti reddituum absque S. ipsius Congregationis licentia: Superiores autem hujusmodi, qui praedicta omnia in praefixo termino non praestiterint vel numerum, ut supra praescriptum, quovis modo augere praesumpserint, privationis omnium officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, vocisque activae ac passivae et ad omnia suae religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere atque aliis, etiam gravioribus, a Sede apostolica infligendis poenis S. Congreg. subiacere voluit et declaravit.

15. Deinceps vero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio vel Societas Religiosorum seu Regularium nullibi recipiatur, nisi praeter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem Fratres aut Monachi seu Religiosi degere et ex redditibus et consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra, detrahendis, competenter sustentari valeant, ad praescriptum Decreti fel. recor. Gregorii XV. hac de re editi: alioquin Monasteria et loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra, sustentari atque inhabitare non poterunt et actu non inhabitaverint, Ordinarii Loci Visitationi, Correctioni atque omnimodae Jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

16. Porro ne ullo unquam tempore haec in oblivionem seu desuetudinem abeant, Superiores Locales cujusque Monasterii, Conventus ac Domus regularis curare atque efficere teneantur sub poena privationis officii vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post Octavam Corporis Christi praesentes ordinationes in publica mensa perlegantur.

17. Omnibus tam ecclesiasticis personis cujuscumque honore et potestate praeditis praesentia Decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdicta.

18. Non obstantibus etc.

19. Et ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit, voluit eadem S. Congregatio, ut praesentes ordinationes in Valvis Basilicarum s. Joannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe ac in Acie Campi Florae, ut moris est, affixae omnes, ad quos pertinent, ita arctent et afficiant ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Utque eorumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae die 21. Junii 1625.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

Declarationes.

Excitatis autem super praemissorum Decretorum intelligentia seu interpretatione infrascriptis dubiis prodierunt a memorata Congregatione, simili auc-

toritate illi a praefato Urbano Papa VIII. specialiter attributa, responsiones seu declarationes inferius apponendae.

Super primo S. Congregationis decreto de celebratione Missarum, quo prohibentur ne Episcopi in dioecesana Synodo aut Generales in Capitulis generalibus vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita aut in limine foundationis.

Quaeritur: Quid, si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire et si recurendum sit ad sedem apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione ut possit hujusmodi onera moderari?

II. Super secundo ejusdem Congregationis decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint?

Quaeritur: an verba illa: *praescriptae fuerint*, intelligenda sint de praescriptione facta ab Offerente vel ab Ordinario?

III. An cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo teneantur Missas illis ab Offerente praescriptas celebrare?

IV. An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellae, Legati aut salarii, possint etiam manualement eleemosynam pro missis votivis aut defunctorum recipere et unico Missae sacrificio utrique oneri satisfacere?

V. Posito, quod Testator relinquat ut celebrentur pro ejus Anima centum Missae absque ulla praescriptione eleemosynae,

Quaeritur: An liberum sit haeredibus eleemosynam sibi benevisam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

VI. Super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, quibus indulgetur, ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat,

Quaeritur: An verba: *in futurum suscipiendis*, intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

VII. Super quarto ejusdem Congregationis decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eadem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat,

Quaeritur: An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiae, Altarium, inservientium, paramentorum, luminum, Vini, Hostiae et similium?

VIII. An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum, id est, an Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum Beneficii?

IX. An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missae, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt: an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

X. Super quinto ejusdem Congregationis decreto, quo inter cetera statuitur in haec verba: eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iisdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita

satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omnino abstinere ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblati, in futurum recipiendis et capsulas auferant etc.

Quaeritur: An hoc Decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

XI. Quid, si offerens eleemosynas audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret cum primum poterit?

XII. An poena interdicti et aliae appositae in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem praecipitur?

XIII. An in hoc Decreto comprehendantur illae capsulae, quae apponi solent in Ecclesiis in die commemorationis omnium Defunctorum et vulgo dicuntur: *Casse de' Morti*?

XIV. An Administratores Ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis, nonnisi post longum tempus, satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiae et devotio ac concursus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

XV. Quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis Collegiis, Societatibus, Congregationibus nec non omnibus et singulis Ecclesiarum, piorum locorum tam saecularium quam regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali: *et aliis ad quos pertinet supplicatur pro opportuna declaratione.*

XVI. Super septimo ejusdem S. Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religioso-

rum praefigatur numerus, qui ex consuetis redditibus aut eleemosynis commode possint sustentari:

Quaeritur: An ubi haec praefixio facta jam fuit in vim similis decreti sanctae memoriae Pauli V. absque tamen computatione reddituum cujusque Religiosi, sit denuo facienda necne?

XVII. An novitii ad habitum regularem admissi possint admitti ad Professionem in Monasteriis, in quibus habita ut supra praefixione numeri commode ali non possunt?

XVIII. Super ultimo, quo cavetur ut nullibi recipiantur Conventus Regularium nisi praeter alia ad id requisita duodecim saltem Fratres in eis degere et competenter sustentari valeant ita ut alioquin subsint jurisdictioni ordinariae,

Quaeritur: An hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quae non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum ac Societatis Jesu?

Ultimo: An idem decretum, ubi disponit uti nullibi recipiantur Monasteria nisi etc., habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam?

Declarationes seu Responsiones ad supradicta Dubia.

S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi a SSmo Domino nostro attributa, ad singula dubia superius proposita ad hunc modum respondit videlicet,

Ad I.: etsi legatum sit adeo tenue nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet

quod magis in Domino e re esse judicaverit: verumtamen, si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari legem hanc foundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

Ad II: Esse intelligenda de praescriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius secundum morem Civitatis vel Provinciae.

Ad III: Tenere.

Ad IV: Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellae, Legati aut Salarium, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad V: Censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundum morem Civitatis vel Provinciae.

Ad VI: Ita esse intelligenda.

Ad VII: Permittendum non esse ut Ecclesiae ac pia loca seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiae et Loca pia alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae et nihilomi-

nus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad VIII: Non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Civitatis vel Provinciae, nisi in foundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad IX: Debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad X: Non prohibere absolute: ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad XI: Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat et consentiat, illae ut tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis juxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad XII: Has poenas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi vel ejus Vicarii generalis aut Generalis vel Provincialis,

Ad XIII: Comprehendi.

Ad XIV: Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad undecimum.

Ad XV: Comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad XVI: Numeri praefixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi decreti hac de re editi.

Ad XVII: Esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commode alii possint.

Ad XVIII: Comprehendere.

Ad ultimum: Habere locum extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

(Anal. J. P. 1864. pag. 959—969; Bull. r. t. VII. pag. 307 et Bull. r. t. IV. pag. 90—96. Ed. Luxbg., t. V. pag. 89—92. Ed. 1742.)

*Proponen. in Congreg. Concilii
13. Maii 1679.*

De Celebratione Missarum.

SSmus. D. N. pro suae pastoralis providentiae inclito zelo animadvertens in missarum celebrandarum omnissionibus piorum fidelium voluntates frequenter defraudari malis hujusmodi obviare decrevit.

Id praesertim contigit in Regularibus et Exemptis, qui ultra conventuum et monasteriorum vires eleemosynas, quantae quaeque offerantur, pro missis celebrandis recipiunt illisque consumptis missisque non celebratis pro compositione vel condonatione in dies recurrunt.

Quoad onera quidem perpetua per decretum S. M. Urbani VIII. per hanc S. Congr. editum 21. Junii 1652, si illius observantiae invigiletur, satis forte consultum est, nisi in hoc etiam aliquid addendum videatur. Tota provisio versari debet circa eleemosynas quae dantur ad manus.

In notula remissa suggerit fore opportunum si etiam regularibus et exemptis prohibeatur in posterum ne pro missis eleemosynas recipiant nisi

prius per libros coram ordinario docuerint antea susceptis oneribus esse satisfactum deindeque de mense in mensem tam eleemosynarum susceptarum quam missarum celebratarum notulas eidem ordinario exhibere teneantur. Cum caeteroqui tabellarum in Sacristia retentio nequaquam videatur sufficere, cum praecipuus defectus consistat in manualibus eleemosynis, quae dictim obveniunt, oportet etiam futurum suggerit si praesertim regularibus prohibeantur capsulae et liberculi, quos sacristiani retinere consueverunt, mandando ne in posterum eleemosynae recipi possint nisi a superiore cum assistentia duorum Patrum gravium, imponendo poenam praesertim vocis activae et passivae non solum ad superiores locales sed etiam ad provinciales et generales in casu contraventionis. Si vero hujusmodi remedia non existiment adaequata, non graventur EE. PP. pro eorum summa prudentia decernere quod magis in Domino expedire judicaverint.

*Votum Card. Casanate ad dubia S.
Congregationis Concilii additio-
nalia pro die 13. Maii 1679 de
celebr. miss.*

In decretis editis sub die 21. Junii 1625 ut apud Barbos. de offic. Episcopi tom. 2. pag. 56. cum tribus seq., et apud Novar. in Summa Bullar. pag. 134 cum duabus seq. optime sancitur „Eleemosynas manuales et quotidianas pro missis celebrandis suscipi non licere, nisi oneribus antea susceptis fuerit satisfactum, alioquin omnino abstinendum ab hujusmodi eleemosynarum receptione ac etiam capsulas cum inscriptione illa: Eleemosinae pro missis, omnino amovendas ut §. 5 eorumdem decretorum vers.: eleemosinas vero“. Nulla tamen imposita est poena in transgressores neque modus reddendae rationis praescriptus